

INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXXIV—LXXV

INDE AB DIE XV M. OCTOBRIS

PUBLICAE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

ADVERSARIORUM

PARTEM DUODECIMAM

F. V. FRITZSCHUS

PRAEMISIT.



TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

Adversaria.

§ 13.

De numeris dochmiacis.

Particula II.

Quum de dochmiis scribere coeperim, silentio transire nequeo chorum his maxime numeris constantem virginum Thebanarum, quae in Aeschyli tragoedia *ΕΙΤΑ ΕΠΙ ΘΗΒΑΣ* agunt parodum v. 78—162 ed. Herm. Sed quaecunque de hoc chori carmine unquam scripta sunt, hic omnia complecti longum videtur: libelli enim materia est, non dissertationis. Itaque ea certe, quae infelicititer et inepte dicta sunt, sciens omittam, ut meros errores Bothii, Wellaueri et Hauptii Luccaviensis. Ante omnia quaeritur, utrum ille chorus antistrophos habuerit, an eis careat. De antistrophica hujus parodi responsione prorsus recte unus iudicavit C. Lachmannus, secundum quem G. Hermannus a vero proxime afuit. Nam quum nemo antea strophas hic sibi putasset quaerendas esse: tandem G. Hermannus juvenis in l. De Metris p. 253 primus docuit versus 151—156 stropham et v. 157—162 ejus esse antistrophum, id quod mox omnes (in his Dindorfius) secuti sunt. Tum bene vidit Burneius apud Blomfieldum, qui ei adsensus est, aliam stropham esse v. 135—142 ejusque antistrophum v. 143—150. Id quoque mox plurimi (ut Lachmannus, Hermannus et Seidler) comprobarunt. Denique v. 110—124 item stropham esse ejusque antistrophum v. 125—134 primus animadvertit A. Seidler De VV. Dochm. p. 184, quod plerique (ut Lachmannus ut apud ipsum Seidlerum p. 181 et in editione Aeschyli Hermannus) conlaudaverunt. Attamen hic v. 120—124 male pro mesodo habuit Seidler p. 184 duce Hermannus in Aeschilo I p. 131, qui idem de mesodi usu longe aliter iudicavit ad Choeph. v. 770 (II p. 555). Immo hos versus (120—124) ipsius finem strophae esse, antistrophici autem finem v. 132 sqq. lacerum et mutilum ad nos pervenisse unus optime intellexit C. Lachmannus De choricis system. p. 83 sq. Restat initium carminis v. 78—109, quam proodum esse recte vidit Hermannus ap. Seidler. p. 181 et in edit. Aeschyli, viderunt alii in eis Lachmannus l. l. p. 82. Sed male proodum quoque in antistrophica coëgit Seidler l. l. p. 182—184, quem nonnulli velut Hartungius in ed. p. 44 temere secuti sunt. Seidlerum enim in alia omnia abeuntem De VV. D. p. 189—192 fugerat tantum abesse, ut formae dochmiorum plane diversae apud Aeschylum unquam sibi respondere possint, ut strophae dochmii cum antistrophicis in Aeschilo summa cura exaequantur: de qua re in Quaestt. Metricis Spec. V p. 1 pluribus disserui. Ceterum saepe accidit, ut capta jam urbe ipsa tamen arx per diu defenderetur, velut Tarenti. Hinc nemo mirabitur locum scenae aream fuisse arcis Cadmeae, quo virgines chori confugiunt (v. 172 et v. 223). Et ab initio quidem chorus tam ingenti terrore percussus est, ut nihil loci esse possit antistrophis (v. 78 sqq.). Sed ubi primum supplicatio incipit (v. 110 sqq.), ibidem incipiunt strophae et ad finem usque totius chori (v. 162) retinentur. Adeo precibus faciendis virginum trepidatio magis magisque sedatur tandemque v. 246 ab rege quoque increpitae ad quodvis fatum subeundum sese ostendunt paratas esse. Tum singulas chori personas in nostra parodo partim canere Lachmannus De chor. syst. p. 125 primus coniecit, post quem Passovius in Opusc. p. 99 sqq. eodem modo iudicavit, ita ut hanc

rem in proodum v. 78—103 cadere putaret. Et in proodo quidem res patere videtur ex interrogatione v. 96 et e responso v. 99. Singulas virgines separatim canere etiam Hermannus (II p. 273) censuit, falsus ille quidem in eo, quod ab v. 78—150 singulis tribuit omnia. Recte vero idem Hermannus alibi (in Opusc. VI. 2 p. 49) de toto hoc genere iudicavit et partim hoc ipso loco (II p. 274), ubi satis certum putat, *κατὰ ζυγὰ* dispositum fuisse chorum. (Meminisse ubique oportet Aeschylum Hermannii opus esse postumum.) Immo quum proodum (78—109) singulae cantassent, duo prima stropharum paria (v. 110—150) majores quaedam chori partes (sive *ζυγὰ* sive *στοίχοι*) concinuerunt. Denique extremum stropharum par hemichoriis dandum esse Hermannus (I p. 132) bene perspexit. Nam in omnibus Graecorum tragoediis parodi et antistrophii habent concen-tum neque usquam carent hemichoriis, quibus hic in extrema demum parte locus fuit animo virginum jam magis confirmato. Sequitur, ut eorum opiniones breviter perstringam, qui de hujus chori strophis in varios inciderunt errores. Praetereo autem Bothium, qui chorum suo modo in antistrophica redigere voluit (etiam in ed. Schuetzii p. 222 sqq.), sed omnia falsa sunt praeter stropharum par paenultimum. Verum Fr. Passovius in Opusc. p. 97 etsi duo postrema stropharum paria recte post alios agnovit, tamen erravit in eo, quod primam stropham versibus 104—119 ejusque antistrophum v. 120—133 comprehendi jussit, quorum neutrum fieri posse adparet. Jam F. Ritschlius tum ille quidem juvenis ap. Passovium l. l. p. 101 sq. Seidlerum partim secutus etiam initium carminis inde ab v. 79: *μεθεῖται* frustra in antistrophica mutavit. Postremo G. Dindorfius hujus chori partem maximam (v. 78—150) antistrophicam fuisse jam olim negavit, ac ne postea quidem, quum hoc ipso nomine ab G. Hermann (II p. 274) acriter reprehensus esset, ab isto errore depelli potuit. At enim in Aeschilo antistrophii tanta severitate compositae sunt, ut sententiae, verba eorumque longitudo, syllabae ipsi denique soni sibi invicem respondeant. Itaque nullis artibus effici potest, ut Aeschylea antistrophus, quum primum eruta fuerit, unquam vel ad tempus occultetur vel plane obruatur. Immo vir egregius nihil aliud nisi hoc unum decrevit, interdiu non lucere. Quare ademtam tibi jam faxo omnem dubitationem, ut (quantum ad stropharum responsiones pertinet) in utramvis aurem otiose liceat dormire. At enim in verbis poetae restituendis omnino nonnihil profectum esse, multo tamen plus vani laboris consumtum videmus: de quo genere admodum discrepantes sunt criticorum sententiae. Nam Passovius l. l. p. 97 nulla omnino conjectandi violentia opus esse, sed 'optimorum codicum' lectiones adfirmat restitui debere. Contra Dindorfio hunc chorum placuit adeo depravatum esse, ut nonnullis in locis Dindorfii potius carmen graecum legamus, quam Aeschyli chorum antistrophicum. Illud tamen eidem adsentior, perraro adhuc hujusmodi emendationem propositam esse, quae omnes notas habeat veritatis. Similiter Passovius l. l. p. 95 sibi liquere negavit, cur ab multis alia lectio alii vel anteposita sit vel posthabita et plerumque se aut nimia criticorum temeritate deter-ri aut ignava quadam modestia offendi. Quid, quod fuerunt, qui inter se obtrectarent: alii non contentionibus, non rixis ac ne sannis quidem abstinerunt. Equidem qui mihi nunc seriam rem agere videar, risum et jocum in aliud tempus malo differre. Quid autem sit, quod ne summi quidem critici nisi perraro adhuc operae pretium fecerint, nunc de-mum certo intelligitur. Tenendum est igitur, in Aeschilo prope omnia ad unum codicem redire Mediceum. Hujus bona conlatione Hermannus usus est T. Mommseni, item bona Ritschlius (in ed. a. 1853) C. Prienii, quarum altera alteri haud levibus in rebus saepe repugnat. Sed verissime Ritschlius in Praef. p. VIII difficillimum esse iudicat talem codicem, qui complures manus expertus sit, prorsus exhaurire. Hinc neutra conlatio in choro tam corrupto potuit sufficere, sed ipsius codicis opus fuit imagine paene expressa. Hanc vero (a Petro de Furia opinor acceptam) Dindorfius demum a. 1857 evulgavit in ed. tert. Praef. p. VII sqq. Quanquam ne ex hac quidem opera tam praeclara ipsi Dindorfio eximium percipere fructum licuit. Quum enim magnam chori partem (v. 110—150) antistrophicam esse negaret: coactus est tales conjecturas excogitare, quae antistrophico versui repugnent. Ita fit, ut his in locis fere omnibus Dindorfii conjecturae non modo Hermannii (II p. 274) verum etiam ipsius Aeschyli iudicio condemnatae sint. Qui si Hermannum optime monentem audire maluisset, facile hunc chorum ipse potuisset multis locis redintegrare itaque et me hac scribendi opera et alios haud dubie solus liberasset. Ceterum ne ii

quidem, qui stropharum rationes bene intelligent, nisi eidem codicibus certo uti didicerint, magnam inde capient utilitatem. Nam si codex antiquior lacunis hiasset, postea librarii non semper vacuo spatio certoque signo marginis (velut cruce) defectum indicarunt, sed saepissime dissimulato omni hiato ea quae vere hiarent continua oratione perscripserunt, cujusmodi exempla post Cobetum Orat. De Art. Interpr. p. 66—75 ego dedi ad Lucian. III. I Proleg. p. XII et alibi. Talia exempla hic ipse chorus iterum iterumque in codice exhibet Mediceo, unum caeteris longe gravius v. 132. In huiusmodi locis critici pessime mutant verba sanissima, quae legi adhuc recte poterant ideoque recte perscripta sunt, veluti v. 110: παντελής et v. 132: στόνων ἀντᾶς. Ergo librarius Medicei in codice quem descripsit hic v. 78—162 nimis multa legere non potuit, sed dissimulavit modo non ubique hiatum. Haec igitur nobis (si modo fieri potuerit) supplenda sunt. Semel autem v. 83 sq. idem codicem suum vix ac ne vix quidem legere potuit. Itaque ut pueruli solent, sic ille hic literas qualescunque pinxit omni sententia vacuas. Equidem illos, qui suas conjecturas in locis dubiis sine ullo aliorum criticorum respectu ubique substituerunt, imitari nolui, sed ut ab superioribus quam plurima sumerem, curae habui: quae sic quoque fuerunt paucissima. Ita ego quoque meas recipere conjecturas saepe coactus sum: quae ubi comprobari non poterunt, quam primum cedant melioribus. Nonnunquam tamen Aeschyli manum certo mini restituisse videor idque tum ipse professus sum. Denique supplementa, quae v. 132 nulla inserere ausus sum, etsi sententiae et metro ubique conveniunt, verbotenus tamen ipsius esse Aeschyli nemo demonstrare potest.

Restat, ut chorus ipse numeris versuum secundum Hermannii editionem computatis v. 78—162 addita etiam adnotatione critica infra ponatur.

Προφθόγ.

- — — θρεομαι φοβερά μεγάλ' ἄχῃ
 80 μεθεῖται στρατός στρατόπεδον λιπών
 ρεῖ πολὺς ὁδε λεώς πρόδρομος ἱππότης
 αἰθερία κόνις με πείθει φανείδ',
 ἀναυδὸς σαφὴς ἐνυμνος ἄγγελος
 [ἐλεδέμιασ πεδιοπλοκτύπος
 τηροῖμπεται βοᾷ]
 85 ποιάται βοέμει δ'
 ἀμαχέτου δίκαν ὑδατος ὁροτυπου.
 ἰὼ ἰὼ θεοὶ θεαὶ τ', ὁρόμενον
 κακὸν ἀλευσατε.
 βοᾷ ὑπὲρ τειχῶν
 90 ὁ λεύκασπις ὀρννται λαὸς εὐπρεπτον ἐπὶ πτόλιν
 — — — διωκων.
 τίς ἀρα ῥυσσεται, τίς ἄρ' ἐπαρκεσει
 θεῶν ἢ θεᾶν;
 πρότερα δὴτ' ἐγὼ ποτιπίσω βρεττα δαιμόνων;
 95 ἰὼ μάκαρες εὐεθροὶ, ἀκμιάζει βρετιών
 ἔχουσθαι. τί μελλομεν ἀγᾶστονοι;
 ἀκουεῖ ἢ οὐκ ἀκουεῖ ἀσπίδων κτυπον;
 πεπλων καὶ στεφάνων, εἰ μὴ νῦν, πότ' ἀμφὶ λιτάν' ἔξομεν;
 100 κτυπον δέδορκα· πάταγος οὐχ ἑνὸς δορός.
 τί ρέξεις; προδώσεις,
 παλαίχθων Ἀρης, τὰν τεὰν γᾶν;
 ὦ χρυσοπηγὴ δαίμων, ἐπιδ' ἐπιδε πόλιν,
 τὰν ποὶ ἐνφιλῆταν ἔθου.
 105 θεοὶ πολιᾶχοι χθονος — — —,
 ἴδ' ἴτε πάντες ὠδ', ἴδετε παρθένων
 ἰκέσιον λόγον δουλοσύνας ὑπερ.
 κῦμα γὰρ περὶ πόλιν
 δοχμολογᾶν ἀνδρῶν καχλάζει πνοαῖς Ἄρεος ὁρόμενον.
 Στrophe α.

- Ἄλλ' ὦ Ζεῦ πάτερ, παντελὲς — — —, 110
 πάντως ἄρῃξον δαΐων ἄλωσιν.
 Ἀργεῖοι γὰρ πόλισμα Κάδμου
 κυκλοῦνται. φόβος δ' ἄρῃων ὅπλων
 διάδετοι γὰρ ἐν γένυσιν ἱππίοις
 κινύρονται φόνον χαλινοί. 115
 ἐπὶ δ' ἀνάκτορες πρέποντες στρατοῦ
 δορυσσῶ σαρὰ πύλαις ἐβδόμῃ
 προσίστανται πάλῳ λαχόντες.
 σὺ τ', ὦ Διόγενες φιλόμαχον κράτος 120
 ῥυσίπολις γενοῦ, Παλλὰς, ὃ θ' ἱππῖος
 ποντομέδων ἀναξ
 ἰδυβόλῳ μαγανᾷ, Ποσειδᾶν,
 ἐπίλυσιν φόβων, ἐπίλυσιν δίδου.
 Ἀντίστροφος α'.
- Σὺν τ', Ἀρης, πόλιν Κάδμου ἐπώνυμον, 125
 φεῦ φεῦ, φύλαξον κήδεσσι τ' ἐναργῶς.
 Κύπρις θ', ἃ καὶ γένους προμάτωρ,
 ἄλευσον· σέθεν γὰρ ἐξ αἵματος
 γεγόναμεν, λιταῖς σὲ δὲ θεοκλύτοις 130
 αὐτοῦσαι πελαζόμεσθα.
 καὶ σὺ, Λύκει' ἀναξ, Λύκειος γενοῦ
 στρατῷ δαΐῳ — — — — —
 — — — — — στόνων αὐτᾶς.
 σὺ τ', ὦ — — — — — — — — — — —
 — — — — — [Ἀρτεμι φίλτάτα,]
 Λατογενὲς κόρα
 — — — — — τόξον εὐτυχάζου.
 — — — — — — — — — — —
 Στροφή β'.
- ἔ ἔ ἔ ἔ, 135
 ὄτοβον ἀρμάτων ἀμφὶ πόλιν κλύω,
 ὦ πότνι Ἥρα.
 ἔλακον ἀξόνων βριθομένων χνόαι,
 [[Ἀρτεμι φίλτάτα.]]
 δορυπύλας αἰθῆρ ἐπιμαίνεται. 140
 τί πόλις ἄμμιν πάσχει; τί γενήσεται;
 ποῖ δὲ τέλος ἔτ' ἐπάγει θεός;
 Ἀντίστροφος β'.
- ἔ ἔ ἔ ἔ,
 ἀκροβόλων ἐπάλξεων λιθὰς ἔρχεται,
 ὦ φίλ' Ἀπολλων. 145
 κόναβος ἐν πύλαις χαλκοδέτων σακίων.
 ὥς Διόθεν [μόλοι]
 πολεμόκραντον ἀγνὸν τέλος ἐν μάχῃ.
 σὺ τε, μάκαιρ' Ὀγκᾶ, προπτόλως ἀνασσ' 150
 ἐπτάπυλον ἔδος ἐπιρρύν.
 Στροφή γ'.
- Ἰὼ παναλκίς θεοί,
 ἰὼ τέλειοι τέλειαι τε γὰρ τᾶσδε πυργοφύλακες,
 πόλιν δορίπονον μὴ προδῶθ' ἑτεροφώνῳ στρατῷ.
 κλύετε παρθένων κλύετε πανδίκως 155
 χειροτόνους λιταῖς.
 Ἀντίστροφος γ'.

Ἰὼ φίλοι δαίμονες,
 λητήριοι τ' ἀμφιβάντες πόλιν, δείξαθ' ὡς φιλοπόλεις,
 μίλεισθέ θ' ἱερῶν δημίων, μελόμενοι δ' εἰρξάτε
 φιλοθύτων δέ τοι πόλεος ὀργίων
 μνήστορες ἔστε μοι.

Adnotatio critica.

v. 78. *θρεῦμαι φοβερά μεγάλ' ἄχη* multa apographa plerisque (olim etiam Dindorfio) probantibus. Ac numeris quidem id bene convenit, non ut *θρεῦμαι* sit trochaus semantus' (Herm. ad Aeschyl. II p. 274), sed ut sit 'spondeus' (ita idem in El. D. M. p. 277). Nam *θρεῦμαι* esse potest spondeus duplex sive major', quum sit par dochmius i. e. pes octasemus. Vide Aristidem p. 36, Boeckhium De Metr. Pind. p. 24, Rossbachium in l. Rhythmik p. 102. Sed Hermannum l. l. p. 277 bene offendit altera lectio apographorum: *θρεῦμαι φοβερά μεγάλα τ' ἄχη*, iambico dimetro, qui mali est metrici. At in Mediceo est: *θρέομαι φοβερά μεγάλ' ἄχη* et Aeschylum ubique dixisse *θρέομαι*, nusquam *θρεῦμαι* primus docuit Blomfieldus ad Agamemnem. v. 1135. Ergo quum hic quoque versus, sicut proximi, dimeter fuerit dochmiacus: sequitur ante *θρέομαι* syllabas — — — excidisse. Hinc equidem suppleri: [*Δαιμόνια*] *θρέομαι* — collato loco Pers. v. 583. Summam rei post Blomfieldum animadvertit etiam Dindorfius in ed. tert. Praef. p. XII supplavitque: [*Νεόκοτα*] *θρέομαι* —, quod cum Eteoclis verbis v. 21—30 conciliari vix potest. Neque enim nova et inaudita haec oppugnatio fuit sed omnium postrema.

v. 83 sq. *ἔλιδέμας πεδιοπλοκτύπος | τὶ χρίμπεται βοᾷ | ποτᾷται*, ita Mediceus. Latus patet campus divinand. Ego quum olim audacter scripsissem: *ἀνελέλιξ γὰς πέδον ὅπλων κτύπος* —, postea lenius conieci (non tamen sine supplemento): *κέλαδος ἔμολε γὰς πεδί'* (sive *πέδον*), *ὅπλων κτύπος | ποτι-χρίμπεται*, [*διατόρος*] *βοᾷ | ποτᾷται*, ratus *ὀπλοκτύπος*, quod cum v. 185 *ἀρματοκτύπος* convenit, syntaxi repugnare. Nam *κέλαδος* dici solet 'bellicus clamor sub initium pugnae sublatus' tum ab Homero tum in Aesch. Pers. v. 383 et in Eur. Hecub. v. 910. Tum *ἔμολεν* ita usurpatum est in illo ipso l. Hecub. v. 910 et in Hippol. v. 586. Dindorfius autem coniecit: *εἴλε δ' ἐμὰς φρένας δέος: ὅπλων κτύπος ποτιχρίμπεται διὰ πέδον βοᾷ ποτᾷται*, improbante Hermanno. Languent enim ista *εἴλε δ'* — *δέος* post *θρέομαι φοβερά μεγάλ' ἄχη* verba gravissima, neque hic chori metum sed exercitum hostium poeta describit. Saltem parcendum erat insigni asyndeto v. 78—84, quod Schuetzius, Passovius, Hermannus certatim admirati sunt. Hoc unum *ποτιχρίμπεται* pro *τὶ χρίμπεται* ab Dindorfio mutuatus sum.

v. 90. *εὐπρεπὴς* M. pr. m., *εὐτρεπὴς* sec., quorum neutrum convenit. Quum non de urbe sermo sit, de qua *εἰς* (pro *ἐπὶ*) *πόλιν* dicendum erat, sed de arce longe lateque conspicua: pro *εὐπρεπὴς* *εὐπρεπτον* voce Aeschylea (Suppl. v. 692) correxi. Tum bacchio systema dochmiorum finiri nequit. Hinc post *πόλιν* suppleri — — — (verbi causa *Καθμογενεῖς*) clausula frequenti, de qua vide Seidlerum De VV. D. p. 166 sqq. Non opus erit supplemento, si quis *διώκων* verbum sane aptum (quasi glossema scilicet) delere audeat. Bello saeviente multorum oculis prae metu et Panico terrore glaucomata offunduntur: eujusmodi rem Caesar De b. civ. I. 14 enarravit. Ita hoc loco poeta mihi recte sapere videtur, non mirifice 'delirare'. Bene igitur Hermannus: 'timidae virgines, inquit, iam muros superare exercitum putant', refellens ille unum Dindorfium, qui hic plurima mutat, ne dicam omnia.

v. 93 libri *βρέτη*, pro quo *βρέττα* posui numerorum causa. Saepe enim creticus sive paeon dochmiis medius interponitur.

v. 98. *πότ' εἰ μὴ νῦν | ἀμφίλειαν ἔξομεν* M. Sine dubio vera emendatio est C. Prienii ita transponentis: *εἰ μὴ νῦν, πότ' —*, ante quem jam Seidler restituerat: *ἀμφίλειαν' ἔξομεν* e Suppl. v. 778. Comprobavit etiam Dindorfius, oblitus ille tamen in optima scholiorum ed. Ox. p. 314 lin. 1 locum indicare scriptoris, qui sane Lucianus est in Nocyom. c. 7 fin.

v. 100 et 101. Haec uno versu conjungi possunt. Nam pentametrum bacchiacum acatalectum, qui in Eurip. Helena v. 642 exstat, Aristides Quinctilianus p. 55 et Marius Victorinus X, 3 p. 131 Gaisf. diserte agnoscunt.

v. 102 et 111 = 126. De metro Hermannus utrobique recte iudicavit, non item de priore Seidler (D. VV. D. p. 193), de neutro loco Dindorfius in ed. tert. Praef. p. XIX et p. XXII.

v. 104. ante *ἰθ'* rasura quinque fere literarum (ita Prienius p. X) in M. De litura ante hanc vocem consentit Mommsenius (p. 278) tacente Dindorfio p. IX. Adeo codex ipse testatur post *χθονός* aliquid deesse. Deest autem imperativus sive *ἐπιρρέσθ'* sive potius *ἀκούσατε*, quocum confer JI. π', 514 sq. Post *χθονός* lacunam esse olim (non item postea) voluit etiam Dindorfius (De metris scen. p. 12). Proximo versu inter *πάντες* et *ἰδετε* interposui duce Dindorfio *ὦδ'*, quocum confer melica Aristophanis in Avv. v. 229. Hanc conjecturam Hermannus p. 278 eo minus debebat 'ineptam' dicere, quo similior ipsius emendatio v. 160 est Dindorfiana.

v. 78. suppleo: [*Δαιμόνια*] *θρέομαι* —.

v. 83 sq. coniecio et suppleo: *κέλαδος ἔμολε γὰς πεδί'*, *ὅπλων κτύπος | ποτιχρίμπεται*, [*διατόρος*] *βοᾷ* —, (*ποτιχρίμπεται* pro *τὶ χρίμπεται* post Dindorfium).

v. 90. suppleo dubitanter: [*Καθμογενεῖς*] *διώκων*.

v. 104. suppleo: *χθονός* [*ἀκούσατε*,] —.

v. 107. Trochaicus versus minime ferendus est. Neque tamen γὰρ deleri potest, quum asyndeton hic magnam habeat offensionem. Ego πόλιν pro πτόλιν reposui dimetro cretico.

v. 110. Extremo versu aliquid deest. Poëtam dixisse opinor: παντελής [*ὁ κράτος*]. Vide geminos versus in Suppl. 510 et Eumen. 29. adde locum, quo etiam proxima πάντως ἄρξον illustrantur, Eurip. Orest. v. 1291 sq. ed. Kirchh.

v. 114. διαδέτοι (ita pr. m., διάδετοι m. tertia) γενίων ἱππίων M., errore orto e superioribus: ἀρῶν ὅλων. Emendationem scito valde esse dubiam. Ego conjeceram: διάδετοι γὰρ ἐν γένειν ἱππίοις favente antistrophico. Quo si uti nolueris, ab aliis sume conjecturas ab Dindorfio διαδέτοι δέ τοι et ab Hermannō γένος ἱππίας. At tum ego malim: διατόροι δέ τοι (os penetrantia frena' i. e. ori penitus inserta).

v. 115. Verbum κινύρονται schol. Med. explicat: οἶον, προφωνοῦσιν —. Hoc scholio motus L. Dindorfius ad nostrum versum retulit Hesychii glossam: κινύρονται: προφωνοῦσι, προλέγουσι. Itaque pro κινύρονται criticus Alexandrinus scripserat κινύρονται. Alteri tamen favet Π ρ, 5 κινυρός, neque Agam. v. 16 adversatur. Sic idem Aristophanes in Eqq. 11 habet κινύρεσθαι, at κινύρεσθαι in Eccles. v. 880.

v. 116. libri cum Thoma: ἐπὶ δ' ἀγῆνορες — absurde. Rescripsi jam olim: ἐπὶ δ' ἀνάκτορες — ductus etiam antistrophico. Vide Choëph. v. 352. Quanquam centena ejusdem generis habet Aeschylus ab epicis accepta. Βασιλευτόρες dixerat in Thebaide Antimachus ap. Etym. M. p. 189, 6. Vide Wolfium ap. Schellenberg. Antimach. p. 55 et inprimis p. 84.

v. 117. δορυσόοις σ. vulgo, δορυσόοις optimi libri Thomae p. 133, 7, sed δορυσόοις (ultima litera in ras.) σαγῆς M. ita tamen ut pristina scriptura fuerit δορυσόοι σαγαί (Dindorf. l. l. p. X). Hinc scripsi δορυσώ σαγῆ. Ibidem πόλαις ἐβδόμοις M. cum Thoma l. l. Neque ἐβδόμοις ferri potest, neque ipse numerus, qui cum praegresso ἐπὶ cohaeret, removeri. Ergo scripsi ἐβδόμῳ (scil. πάλῳ). Vide infra v. 439 et confer illud ἐβδόμος αὐτός ap. Thueyd. I, 46; I, 61; I, 116; II, 13; II, 79; III, 3; III, 19; Arist. Vesp. v. 301; Lucian. Verr. Hist. I, 15. Heimsöethi conjecturas ἐβδόμοις delentis scribentisque: ἐ. δ' ἀγῆνορες μέδοντες στρατοῦ | δ. σ. πρέποντος πόλαις | προσίστ. probari non posse existimo.

v. 124. φόνων M, sed φόβων recte apographa pleraque. Pluralem φόβοι quinque habet Euripides, habent Plato Phaedone p. 66, c., Lucianus Charone c. 18, alii.

v. 125. σὺ τ' ἄρξον φεῦ φεῦ | ἐπώνυμον κάδμου (sic, sed omnia apographa hoc ordine: κάδμου ἐπώνυμον) πόλιν φύλαξον — M. Hic et justum metrum et suam Aeschylō manum restitui. Scripsi enim: Σάν τ', Ἄρης, πόλιν Κάδμου ἐπώνυμον, | φεῦ φεῦ, φύλαξον —. Et σάν quidem positum fuisse e superiore loco (v. 101) clare elucet. Tum πόλιν et φεῦ φεῦ transposui, hoc est ejulantis voces, quae hic non magis deleri possunt quam in gemino loco de ipso Marte Horati Od. I, 2, 35 (sive — ludo'), suo loco collocaui. In lectione M structura verborum monstrata est, id quod in choris scenicis eorumque codd. saepe accidit.

v. 127. καὶ κύρις ἄ τε γ. π. M. Ego dubitanter scripsi: Κύρις θ', ἃ καὶ γ. π. Malim (partim cum Seidler et Dindorfio): Κύρις θ' αὐτ' εἰ γ. π.

v. 129. λιταῖς σε | θεοκλήτοις M contra metrum. Correxī: λιταῖς σε δὲ θεοκλήτοις, id quod post illa εἶδεν γ. certa anaphorae lex et usus constans requirunt. Vide vel Suppl. v. 355. Proximo versu apographa ἀπύουσαι et ut videtur M, cui solus Prienius dat ἀπύουσα ex ἀπύουσα. Sed αὐτοῦσαι Seidler l. l. p. 196 bene restituit. Quanquam ἀπύουσαι defendi posse Dindorfio p. XXIV adsentior.

v. 132–134. post στρατοῖ δαίῳι M continuo: στόνων αὐτῶς. σὺ τ' ὦ | λατογένεια κόρα τόξον ἐντυκάζον (ἐν in litura et τ e corr. ita Prienius et fere Mommsenius; paullo aliter Dindorfius p. X). Hic praeterquam quod nihil est ἐντυκάζον, neque metri, quod strophae respondere debet neque sententiae, quae plane nulla est ratio constat. Primum Seidler p. 196 etsi hunc locum bene vidit in toto carmine corruptissimum esse: tamen quum finem strophae v. 120 sqq. male pro mesodo habuisset, multum proficere non potuit. Recte vero unus Lachmannus De chor. syst. p. 83 in hisce antistrophis quasdam particulas superesse intellexit. Quanquam p. 271 ipse doluit se aurium ludibrio deceptum metra parum recte indicasse. Attamen p. 83 bene judicat post δαίῳι duo versus deesse. Nempe haec, quae nunc in cod. M. misere cohaerent, certo mutilata sunt. Ac primo ea desunt, quae verbis πόλαις ἐβδόμῳ προσίστανται v. 117 responderant. Fac poëtam post δαίῳι ita fere perrexisse: [πόλιν δ' αἰτίοι | προσορμῶνται] στόνων αὐτῶς, quibus cum confer Pers. v. 880 et cum verbis στόνων αὐτῶς, quae jam supra dixi servanda esse, Soph. Oed. R. v. 187 inprimisque Eur. Med. v. 204. Post στόνων αὐτῶς bene pergit M σὺ τ', ὦ, prorsus ut in strophae loco eodem v. 120 σὺ τ', ὦ — legitur. Sed desunt quae strophicis 120 Λιτογένης — γενοῦ responderant. Quod post σὺ τ' ὦ habet M λατογένεια κόρα, id est potius ut supra correxi: Λιτογένης κόρα, hoc versui 122 apte respondet. Post κόρα pergit M τόξον ἐντυκάζον. Sed τόξον ἐντυκάζον bene correxit L. Dindorfius ex Hesychio: εὐτυκάζον. εὐτυκτον ἔχε, ἔτοιμον (immo εὐτυκάζον cum L. Dindorfio et εὐτυκτον cum Cobeto in Orat. p. 152). Ceterum in fine hujus antistrophii a verbis σὺ τ' ὦ sola invocata erat Diana.

Ibidem. Post ἐντυκάζον M sic: ἄρτεμι φίλα. ἐ ἐ ἐ ἐ et haec omnia mox mire repetit ante v. δοριτίαντος. Et Seidler quidem p. 197 haec loco delet priore, comprobante Lachmanno p. 84. At ego altero potius loco haec expungo, in quo interjectiones certo delendae sunt. Metrum tamen utrobique poscit, ut φίλτατα pro φίλα scribatur. Ac ne priore quidem loco post ἐντυκάζον ferri possunt, sed ante λατογένεια transponenda sunt, ut supra posui: ἄρτεμι φίλτατα, Λιτογένης κόρα —.

v. 139. M ante δοριτίαντος, ut dixi repetit ἄρτεμι φίλα. ἐ ἐ ἐ ἐ. Quodsi deletis interjectionibus ἄρτεμι φίλτατα scribatur, respondebunt haec versui 147 quamvis nunc mutilo. Praestat tamen ἄρτεμι φίλα

v. 105. ὦδ' addidit Dindorfius.

v. 110. suppleo: παντελής [*ὁ κράτος*,] —.

hic delere, ita ut ante *δορτινικτος* haec desint: $\frac{\sim}{\sim} \sim \sim \sim$. veluti [*περι δὲ πᾶς Διὸς*] *δορτινικτος αἰθ.* Cf. Aesch. Prom. 88 et Euripideum *Διὸς αἰθήρ*. Adde quod abominantis est illud *Ἄρτεμι φίλα*, non item *Ἄρτεμι φιλάτα*, sicut hic v. 137 *ὦ πότνι' Ἥρα* et v. 145 *ὦ φίλ' Ἀπόλλων*. Eodem modo alii loquuntur, Eupolis ap. Polluc. X, 63 *ὦ φίλε Ζεῦ*, Alexis ap. Athen. VI p. 242 d *Ἡράκλειος φίλε*, Ar. Plut. v. 854 *θεοὶ φίλοι* (i. e. 'di, obsecro vestram fidem' Plaut. Amphitr. v. 1130), Eur. Phoen. v. 191 *ὦ πότνι' Ἄρτεμι*, Aesch. Prom. v. 896, ubi bene restitutum est: *ὦ πότνιαι Μοῖραι*, Plato c. ap. Herodian. II. Mon. Aἰξ. p. 20, 4 ed. pr. *ὦ Μοῖραι φίλαι*, Ar. Thesm. v. 699 *ὦ πότνιαι Μοῖραι*, Alciphro I, 38 *ὦ φίλαι Μοῖραι*, Longus Pastor. IV, 21 *φίλαι Μοῖραι*, Lucian. D. Mar. I, 4 *Ἀφροδίτη φίλη*, Timone c. 41 *φίλοι Κορύβαντες*, Piscat. 47 *Ἀμφιτρίτη φίλη*, Pseudolog. 30 *Ἀδράστεια φίλη*, Rhet. Praec. 24 *ὦ φίλη Ἀδράστεια*. Sic in terrore, in re foeda et abominanda dii malorum depulsores invocari solebant, id quod aliis exemplis ostendit Lobeckius in Aglaoph. p. 641 et p. 1231. Atque hae formulae saepius praemittuntur, interdum tamen etiam postpositae sunt, ut in hac ipsa Aeschyli strophā.

v. 140. *δορτινικτος δὲ αἰθήρ* M. Aut delendum est *δὲ* aut (ut nonnullis placuit) post *αἰθήρ* ponendum, de qua re anceps iudicium est, quum versus proximus superior male desit.

v. 141. *ἄμμι* M, sed *ἄμμιν* pleraque apographa.

v. 142. *ποῖ δ' ἔτι τέλος* M, sed recte Seidler et Hermannus: *ποῖ δὲ τέλος ἔτ'*, quod melius congruit antistrophico.

v. 146. In Hesychii glossa: *Προμνηθίζει χαλκοδεσμῶν ὀπλῶν* bene correxerunt *χαλκοδέτων ὀπλῶν*. Fuerat enim dochmiacus dimeter: $\frac{\sim}{\sim} \sim \sim \sim$ *προμνηθίζει χαλκοδέτων ὀπλῶν* isque Aeschyli, quod Dindorfio concedo. Dicerem et hunc versum et alium dimetrum dochmiacum, qui Aeschilo diserte datur in Anecd. Bekk. p. 353, 9 e. Memnone' Aeschyli sumtos videri, nisi Aeschylus tam saepe rem tetigisset militarem *κρανοποιῶν* (Ar. Ran. v. 1016). Sed ab nostro Aeschyli loco ista glossa longe est remota. Aliter tamen visum est Dindorfio et in ed. tert. Praef. p. XXXIII et in ed. quinta p. 14, ubi hic post *σακίων* unum versum excidisse opinatur, in quo lectum fuerit verbum *προμνηθίζει*. Scilicet Aeschylus aliena glossa Hesychii temere interpolandus est, ne nihil antistrophicus versus discrepare videatur, sed ut per vim justa responsio tolli de medio possit.

v. 147. *καὶ διόθεν | πολεμόκραντον* M. Post *Διόθεν* deesse sive *μόλοι* sive *πέλοι* optime Hermannus vidit. Sed pro *καὶ διόθεν* corrigendum videtur: *ὥς Διόθεν* —. Nam *καὶ* et *ὥς* in codd. confundi solere vel tirones norunt itemque *ὥς* optativo junctum vim habere optandi.

v. 148. *ἐν μάχαισι | τε μάκαιρ'* M. Hermannus rejecta conjectura priore *ἐν μάχαις*. | *οὐ τε* —, quam Seidler p. 197 probarat, postea *ἐν μάχῃ*. | *οὐ τε* — feliciter emendavit ne Dindorfio quidem reprobante. Illud quoque Hermannus scholiastae nugis omissis egregie vidit, purum et vacuum scelere belli exitum optari propter odia fratrum.

v. 149. *μάκαιρ' ἄνασσ' ὄγκα πρὸ πόλεως* M mendose. Hermannus conjectura est *μάκαιρ' ἄνασσ' ὄγκα, ὑπὲρ πόλεως*, quae quum Seidler V. D. p. 27 haud displicuisset, ab Dindorfio (Praef. p. XXIX ed. 3) jure explosa est. Ego haec lenissime transposui: *μάκαιρ' ὄγκα, προπτόλεως ἄνασσ' —*. Nam 'suburbii regina' Minerva dici apte poterat ob Thebarum portas *ὄγκαϊδας*, de quibus vide vel Porsonum ad Phoeniss. v. 1150. Commode scholiasta *Πυλαίτιδος* Lycophronis (v. 356) attulit.

v. 160. Hermannus olim strophicum v. 154 corruptum esse vulnerat, quod Seidler p. 197 placuisse miror, miror Dindorfio (p. 14 ed. 5) et Lachmanno (p. 85). At trochaico versui nullus locus est, quum cretici sint continuandi totaque haec strophā sit cretico — dochmiaca. Recte igitur Hermannus postremo (ad Aesch. II p. 283) hunc versum, non strophicum iudicavit corruptum esse. Latet autem in v. *ἀρήξαις* creticus pes vel etiam dactylus. Ego admodum dubitanter scripsi *εἰρήξαις*. Hermannus ἦξετε (I p. 132 et II p. 283) calami error videtur pro ἦκετε, quum opus sit imperativo. Et ἦκετε sive potius ἔλθετε meae conjecturae nunc antepono. Tale enim verbum expectamus, quale in simillimis locis (velut in Soph. Oed. R. v. 166 et Electr. v. 115) reperitur.

v. 147. codex: *καὶ διόθεν*. sed *μόλοι* addidit Hermannus. pro *καὶ* ego *ὥς* substitui.

v. 160. libri *ἀρήξαις*. scripsi *εἰρήξαις*. Hermannus maluisse videtur: *ἦκετε*, emendatione laudabili.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

- D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim Evangelium Joannis interpretabitur quinquies p. h. hora XI; 2) privatim Isagogen in Novum Testamentum docebit quinquies p. h. hora XII; 3) publice historiam passionis et resurrectionis Domini secundum evangelium Joannis comparatis caeteris evangelis explicabit die Saturni h. III et h. IV.
- D. Joannes Bachmann, P. P. O., 1) privatim Jesajae librum interpreta-
bitur, quinque p. h. scholis hora VIII; 2) privatim Homileticen docebit
die Lun., Merc., Ven. hora IV; 3) privatissime sed gratis Selecta capita
Mischnica explicanda proponet, duce Geigero (Lehr- und Lesebuch zur
Sprache der Mischna, Breslau 1846) bis p. h. horis defin.; 4) publice
Jesajae capp. XIII sqq. explicabit die Mart. et Jov. hora IV; 5) publice
in Seminario homiletico catechetico homileticas sodalium exercitationes
moderabitur die Saturni h. IX—XI.
- D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., h. t. Dec., 1) privatim
historiae ecclesiasticae partem primam quinquies h. IX, 2) privatim historiam
dogmatum quinquies h. X tradet et 3) publice exercitationes catecheticas in
Seminario die Saturni h. XI et h. XII moderabitur.
- D. Ludovicus Schulze, P. P. O., 1) theologiam dogmaticam septies p. h.
docebit quinque scholis hora III et binis scholis hor. defin.; 2) vitam
Domini nostri Jesu Christi quinquies h. X enarrabit.

In ordine juridico.

- D. Hugo Boehlau, P. P. O., h. t. Academiae Rector, 1) jus Germanicum
privatum quinque p. h. scholis h. XII, 2) jus Mecklenburgicum privatum
ter p. h. h. IV et 3) jus feudale ter p. h. h. IV docebit.
- D. Augustus Thon, P. P. O., h. t. Decanus, 1) pandectarum partem I
(praecepta generalia et jura in re) senis p. h. scholis h. IX, 2) pandecta-
rum partem II (obligationes et jura personarum) senis p. h. scholis h. X,
3) institutiones juris romani quinque p. h. scholis hh. cc. docebit.
- D. Siegfriedus Brie, P. P. O., 1) jus ecclesiasticum quinque p. h. scholis
docebit hora XI; 2) encyclopaediam juris universi tradet ter p. hebdom.
hh. cc.; 3) societatem habebit in qua lex fundamentalis Imperii Germanici
tractabitur semel p. h.
- D. Carolus Birkmeyer, P. P. Extraord. des., theoriam processus civilis
ratione Mecklenburgici juris habita senis per h. scholis hh. cc. docebit.

In ordine medico.

- D. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones
nullas habebit.
- D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem
quaternis diebus h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret hh.
definiendis; 3) exercitationes practicas in clinico medico diebus Lunae,
Mercurii et Veneris hh. X et XI moderabitur.

- D. Hermannus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Jovis h. III—IV, 2) publice generationis et evolutionis historiam diebus Mercurii et Saturni hora III—IV, 3) privatim physiologiae partem alteram (functiones animales) quotidie h. IX—X docebit; 4) privatim Hygieinam diebus Martis et Veneris h. V—VI.
- D. Guilielmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam quaternis p. h. horis IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—II, 3) exercitationes ophthalmoscopicas horis definiendis moderabitur.
- D. Franciscus Koenig, P. P. O., 1) akiurgiam tribus diebus h. X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico diebus Martis, Jovis et Saturni h. XI moderabitur.
- D. Fridericus Schatz, P. P. O., h. t. Dec., 1) de mulierum morbis horis ternis p. h. disseret; 2) medicinam forensem docebit binis horis p. h.; 3) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quinquies p. h. moderabitur h. VIII.
- D. Fridericus Sigm. Merkel, P. P. O., privatim 1) osteologiam et syndesmologiam d. d. Lunae, Mercurii, Veneris h. IX—X, 2) anatomes c. h. partem priorem sexies p. h. h. XII—I docebit; 3) anatomiam topographicam c. h. ter p. h. tradet; 4) privatissime exercitationes anatomicas quotidie h. X—XII, 5) exercitationes microscopicas ter p. h. moderabitur.
- D. Aemilius Ponfick, P. P. O., privatim 1) anatomiam pathologicam specialem die Mercurii et Veneris hora III—IV, die Lunae, Martis, Jovis et Saturni hora IV—V docebit; 2) cursum demonstrativum anatomiae et histologiae pathologicae nec non necropsias die Lunae, Martis, Jovis et Saturni h. II et dimidia — IV moderabitur; 3) publice de morbis infectiosis disseret hora definienda; 4) publice exercitationes in instituto anatomico-pathologico moderabitur.
- D. Carolus Gaeltgens, P. P. E., 1) pharmacologiam et formulas medicamentorum scribendas docebit diebus Lunae, Martis, Jovis et Saturni h. IV; 2) urinae chemiam physiologicam et pathologicam die Mercurii hora IV tradet; 3) exercitationes chemicas et ex physiologia et ex pathologia in laboratorio sexies horis definiendis moderabitur.
- D. Guilielmus Brummerstaedt, 1) morbos mulierum tractabit ternis p. h. horis; 2) methodum explorationis gynaecologicae exponet singulis p. h. horis publice.

In ordine philosophico.

- D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, privatim 1) ternis diebus h. XI Euripidis Hecubam interpretabitur; 2) binis diebus h. XI Ciceronis Oratorem et Brutum lectione explicabit cursoria; 3) binis diebus h. II de arte Graecorum metrica disseret. Denique Seminarii philologici exercitationes moderari perget, in quo selecti loci Thucydidis et Lucreti tractabuntur.

- D. Joannes Roeper, P. P. O., privatim docebit 1) familias plantarum naturales demonstrationibus vegetabilium medicinalium illustrandas, ternis diebus h. XI; 2) historiam plantarum cryptogamarum, ternis diebus h. XI; 3) geographiam plantarum binis diebus h. X.
- D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) Anthologiae graecae Epigrammata selecta ter p. h. interpretabitur; 2) Ciceronis ad Atticum epistolas ter p. hebd. explicabit. Privatissime quater per hebd. de Geographis graecis minoribus eorumque scriptis et fragmentis disputabit.
- D. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit 1) publice astronomiam popularem bis p. h.; 2) calculum integralem ter p. h.; 3) geologiam quinquies.
- D. Hermannus Roesler, P. P. O., tractabit 1) jus administrativum ac politiam sexies p. hebd. h. IX; 2) Statistica quater p. hebd. h. VIII.
- D. Fridericus Guilielmus Schirmacher, P. P. O., 1) privatim historiam nationis Germanicae a Caroli V electione docebit quinis diebus, h. XII—I; 2) privatim historiam a tractatu Viennensi ter p. h.; 3) publice exercitationibus historicis methodum historiae tradet binis diebus.
- D. Henricus de Stein, P. P. O., 1) Psychologiam ter p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii h. V—VI, 2) historiam philosophiae antiquae quater p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis h. IV—V, 3) paedagogicen ter p. h. diebus Jovis, Veneris, Saturni h. V—VI docebit.
- D. Reinholdus Bechstein, P. P. O., h. t. Decanus, privatim 1) linguam theodiscam medii aevi nec non recentioris temporis docebit quater per hebd. h. X—XI; 2) carmina selecta interpretabitur ex libro Caroli Bartschii „Chrestomathie de l'ancien français“ (Leipzig 1872) praemissa introductione grammatica bis per hebd. h. IX—X; 3) exercitationes Seminarii Germanophilologici moderari perget, in quo „Frauendienst“ poema Ulrici ab Liechtenstein tractabitur.
- D. Arminius Comes Lippe, P. P. O., 1) doctrinam de agro recte colendo tradet in universum binis horis privatim; 2) de generanda et conservanda animalium subole disseret binis horis privatim; 3) de tellure per canales subterraneas siccanda tum de pratis irrigandis et bene colendis binis horis privatim; 4) conversatorium reget de rebus ad agriculturam spectantibus quaternis horis privatim.
- D. Oscar Jacobsen, P. P. O., privatim 1) chemiam organicam quinquies per hebdomadem docebit; 2) privatim chemiam exponet studiosis oeconomiae bis per hebdom.; 3) privatim exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies p. h. moderabitur; 4) publice de praeparatis chemicis officinarum bis p. h. disseret.
- D. Hermannus Grenacher, P. P. O., privatim 1) zoologiam docebit sexies p. hebd.; 2) historiam naturalem animalium parasiticorum hominis binis p. h. horis trahabit; 3) privatissime exercitationes zoologicas et zootomicas quotidie moderabitur.
- D. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., 1) privatim physices experimentis illustrandam partem alteram docebit quinquies p. h.; 2) publice physices theoreticae selecta capita tradet bis p. h.; 3) privatim physicen universalem exponet studiosis oeconomiae bis p. h.; 4) exercitationes physicas practicae ternis diebus instituet.

- D. **Fridericus Guilielmus Martinus Philippi**, P. P. Extraord., 1) privatim vaticinia prophetarum Haggai, Zachariae et Malachiae ter p. h. explicabit; 2) privatim grammaticam linguae sanscriticae non sine explanatione Anthologiae sanscriticae ed. Gildemeister bis p. h. docebit; 3) privatim grammaticam linguae aut chaldaicae aut syriacae una cum interpretandi exercitationibus bis p. h. tradet; 4) publice syntaxin linguae hebraicae bis p. h. docebit.
- D. **Octavius Clason**, P. P. Extraord., 1) privatim Imperii Romani inde ab Augusti aetate historiam tradet quater hora III; 2) privatim Litterarum Graecarum historiam (partem priorem, quae poesin complectitur) narrabit quater hora IV; 3) publice exercitationes criticas (comparabuntur inter se Plutarchi Galba, Otho et Taciti histor. libr. I, II) moderari perget binis horis.
- D. **Carolus Weinholtz**, privatim 1) ideismum practice pertractabit; 2) colloquia philosophica offert.
- D. **Julius Robert**, privatim 1) quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) de historia litterarum franco-gallicarum disseret quater p. h.; 3) grammaticam francogallicam docebit quater p. h.
- D. **Ferdinandus de Roda**, in Seminarii sodalitis cantum liturgicum in usum theologorum publice docebit quater p. h.
- D. **Theodorus Huebener**, 1) gratis chemiae historiam singulis horis tradet; 2) privatim chemiam analyticam docebit binis horis p. h.; 3) privatissima offert commilitonibus de chemia agriculturae horis definiendis.
- D. **Felix Lindner**, 1) privatim grammaticam historicam linguae franco-gallicae docebit bis p. h.; 2) gratis Shakespearii tragoediam cui inscriptum est „Macbeth“ interpretabitur bis p. h.; 3) gratis exercitationes instituet cum sodalibus de lingua atque scriptis Anglorum medii aevi duce libro „Altenglisches Uebungsbuch von J. Zupitza. Wien 1874“ semel p. h.

Bibliotheca Academica extra ferias patebit quaternis diebus h. XII—I, festis diebus et solis die exceptis ac praeterea quolibet Mercurii et Saturni die h. XI—I. **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui alias quasdam artes liberales profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Hugo Boehlau, J. U. D.

Praesidet ordini Theologorum **Augustus Dieckhoff**, Th. D.

Jurisconsultorum **Augustus Thon**, J. U. D.

Medicorum **Fridericus Schatz**, M. D.

Philosophorum **Reinholdus Bechstein**, Ph. D.